

D. F. G.
DISSERTATIO,
DOCTRINAM
DE
PHILAUTIA

BREVITER EXPENDENS,

QUAM,

CONS. AMPL. FACULT. PHILOS. IN

REG. ACAD. ABOËNSI,

PUBLICE EXAMINANDAM SISTUNT

JOHANNES SUNDWALL

PHIL. MAGISTER,

ABRAHAMUS MELLENIUS,
BOREALIS,

IN AUDITORIO MAJORI
DIE XXIV MAJI ANNO MDCCCLXXXVII,

HORIS ANTE MERIDIEM CONSVENTIS.

A BOÆ,
TYPIS FRENCKELLIANIS.

S:Æ R:Æ M:TIS
MAGNÆ FIDEI VIRO,
REVERENDISSIMO DOMINO,
DOMINO
JACOBO HAARTMAN,
DIOECESEOS ABOËNSIS EPISCOPO,
REG. ACADEMIÆ AUR. PRO-CANCELLARIO,
VENER. CONSISTORII ECCLES. PRÆSIDI,
SCHOLARUM PER DIOECESIN EPHORO,
MÆCENATI MAXIMO,
SACRUM.



Μηδεὶς μήτε λόγω σέ παρείπῃ, μήτε τι ἔργω,
Πρῆξαι μήδ' ἐιπεῖν, οὐ, τι τοὶ μὴ βέλτερον ἔστι.

PYTHAGORAS.

§. I.

Specimen Academicum in Philosophia Morali editurus in eligenda idonea, de qua disputarem, materie, anxie me non torsti. Considerans enim motiva actionum humanarum varia, eadem in primo quodam convenire, atque illi tanquam primo fonti tribuenda esse reperi. Quocirca mihi sistebat se maxi-
mi in laudata Scientia momenti *Doctrina de Philau-
tia*, de qua non unam, verum varias, prout variæ
de isto affectu hominis opiniones ansam dederint,
Philosophi, partim pueriles partim obscenas atque in-
fusas humanoque genere indignas foverunt senten-
tias, quas omnes, quæ cuique scripta illorum evol-
venti latis superque constent, enumerare supervacaneum foret. Sufficiat indicasse, quosdam, Philau-
tiam omnium fontem esse malorum in homine, at-
que ad caussas, quæ affectum in se optimum pravum

A

effi-

efficiunt, non attendentes, quævis vitia ex isto, naturæ multa tribuentes quæ naturæ non sunt, fluere, existimare; alios autem in quo vera virtus consistat ignorantes, & præter Philautiam perplurima esse motiva homines ad agendum commoventia non perpendentes, illam semper immediatam quasi continere vim caussamque esse unicam actionum quarumlibet fuscipiendarum, atque adeo homines nil nisi propriæ utilitatis commodique respectu agere, statuere. Hinc alii veritati evidentissimæ, Philautiam caussam esse homines ad agendum impellentem, illam non nisi mala efficere, existimantes, assensum præbere ausi non sunt: alii in explicandis actionibus hominis, illas Philautiæ, ut primo fonti, ad caussas quas vocant proximas non attendentes, immediate tribuendas esse crediderunt, atque adeo a veris quidem principiis profecti, nihilo tamen minus veram virtutem abjudicandi humanamque calumniandi naturam, conjectariis ex perverso illorum systemate deductis occasionem præbuerunt: accedit, quod non pauci, hominem nihil nisi voluptatis suæ obtinendæ caussa fuscipere putantes, physicis caussis, voluptati scilicet corporis actiones omnes adscribendas esse demonstrare conantur. Tantum vero abest, ut hac ratione Philosophiæ Morali bene consulerent, quin potius naturam humana ita atris depingentes coloribus, falsamque atque turpissimam condentes doctrinam, modum varias actiones humanas explicandi implicatiorem, faciunt,
at-

3

atque sæpiissime nodum parum intricatum nimis violenter secantes, cuique rem accuratori penitanti lance, manifeste falsas suas obtrudere satagunt opiniones.

Mihi persuadens, plurimas esse caussas nosmet ad actiones nostras suscipiendas commoventes, quas nobis sistit earum vel minima consideratio; has autem, quamvis ad actiones illas determinandas sufficere censerri videantur, alias remotas, ut vocant, habere caussas, quæ omnes in prima quadam, nos primum ad agendum potissimum urgente, continentur, idque ex ratione, quia quivis cuiuslibet actionis suæ finem obtainendum respicit, & quivis finis intermedius, ut loquuntur, in ultimo, qui felicitas nostra est, quiescit, quare etiam aliquid primum sit, nos ad metam istam ultimam attingendam impellens, & actiones nostras ut plurimum ad illam determinans, Philautiam esse primum illud nos ad felicitatem nostram quærarendam movens contendeo, id quod cuilibet naturam humanam diligentius consideranti satis superque constabit. Etsi autem ita sit, hominem tamen non semper rationem propriæ utilitatis commodique habere simul statuo, atque adeo mediæ tenens viam, actiones nostras Philautiæ, ceu primo activitatis nostræ fonti; insimul autem cujusque illarum motivis immediatis adscribendas esse mihi persuasum habeo. Quam & quantam itaque vim in actiones nostras Philautia habeat, & qua ratione illæ huic fonti tri-

buendæ sint, nec non quales conceptus de isto affectu hominis nos nobis formare oporteat, in sequentibus ostendere constitui.

Hoc autem in antecessum indicatum esse volui, ne Lector Benevolus omnem argumenti gravitatem in parva hac opella expensam esse putet, hæ enim pageilæ ad istum finem non sufficerent; mediorem saltum librum condere necesse esset. Pauca itaque, quæ tenuis mea in medium proferre valuit Minerva, temporis angustiæ summæ, qua premor, impensarumque rationem habens, in meliorem ut interpretetur partem, humillime rogo.

§. II.

Antequam ulterius manum operi admoveamus, prius veram *notionem Philautia* enodare, officii postulat ratio. Omnibus animalibus id injunctum esse, ut quodque scipsum plurimum amet, se ipsum conservare studeat, omnia quæ felicitatem suam promovere videntur, amplectatur, quæque illi repugnare existimat, repellat, naturæ vel minima consideratio quemque aperte docet. Voluitque summum Numen hunc instinctum in primis homini, cui etiam plurima alia dona præ cæteris animantibus data sunt, ita insitum esse, ut non tantum felicitati suæ studeat, verum etiam varia excogitare possit media, quibus il-

lam

* * * *

Iam obtainere queat (a): nec si Deus in homine creando conservationem ejus intendebat, ut sane intendit, eum alio modo formare potuit, nisi ut esset sui amans. Nisum hunc naturalem, a Summo D^O ho-
mini inditum, omnibusque communem, se ipsum con-
servandi felicitatemque suam promovendi, *Philautiam*,
in se consideratam, vocamus; quæque tantummodo in
studio atque aptitudine ejusmodi subsidia excogitandi,
quibus felicitas promoveatur, consistit. Quod autem
attinet ad *actualē Philautiam*, qua homo revera &
ipso actu veram suam felicitatem promovet vel pro-
movere videtur, *illam*, si ita actiones suas suscipit ho-
mo, ut veram inde capiat felicitatem, *bonam*, si non,
malam esse, cuique patet. *Philautia*, qua homo se
ipsum moderate amat, atque officia, quæ sibi ipsi de-
bet, exercet, *Species est laudatæ Philautiæ bonæ*; æ-
que ac vitium morale, quo homo injuste aliis se præ-
fert,

A 3

(a) CICERO in Libr. I Off. Cap. IV, ita: Inter hominem & belluam hoc maxime intererit, quod hæc tautum, quantum sensu movetur, ad id solum, quod adest, quodque prælens est, se accommodat, paullulum admodum sentiens præteritum, aut futurum. Homo autem, quod rationis est particeps, per quam consequentia cernit, caussas rerum videt, earumque progressus & quasi antecessiones non ignorat, similitudines comparat, & rebus præsentibus adjungit atque connectit futuras: facile totius vitae cursum videt, ad eamque degendam præparat res necessarias.

fert, *Species est Philautiae mala*, atque alias *ambitio* dicuntur (b).

§. III.

In explicando, quantam vim in actiones nostras habeat Philautia, versantes, illas, vel, ut primum ab ho-

(b) Non male studium felicitatem suam promovendi, prout *naturaliter* homini inest, & ut *ipso actu* exercetur, *Philautiam* vocari, ipsa rei & vocis natura commonstrant. Quis enim ignorat, quod omnes actiones nostrae morales in nostram tendant felicitatem vel veram vel apparentem? Si ad *veram*, Philautia est *bona*; si ad *apparentem*, est *mala*. — Quod attinet ad ipsum vocabulum *Philautiae*, illud a veteribus Philosophis in bonam & malam partem adhibitum esse, colligitur ex ARISTOTELIS Libr. IX, Ethicor. ad Nicomach. Cap. VIII, cuius verba heic referam: επιτιμῶσι γὰρ τοῖς ἔαυτες μάλιστα ἀγαπῶσι, καὶ ὡς ἐν αἰσχρῷ, φίλαυτες αποκαλῶσι; & EJUSDEM Polit. II, Cap. III, ubi existant verba: τὸ δὲ φίλαυτον ἔναι, φεγγεται δίκαιος; nec non ex PLATONIS Libr. V, de Leg. Φίλος ἔαυτῷ πᾶς ἀνθρώπος φυσει ἐστι. Cur autem sāpius *Philautia* in Scriptis Philosophorum malum quid significet, causa est, quia major pars hominum *Philautia mala* vexatur, & quia hac voce indigitarunt propensionem, qua quis cupiditatibus & affectibus suis inordinatis indulget. Sufficiat, nos *illam* ita sumere, uti jam supra diximus, quoniam significaciones, quas enumeravimus, omnino ad vocabulum istud quadrant, &, ut diffensiones multæ hoc consilio effugiantur. — De distinctione *Philautiae* confr. etiam Observat. TITII in Libr. PUFENDORFFII de Off. Hom. & Civ. pag. 127.

homine in statu naturali constituto, vel ut ab eo, tanquam societatis cuiusdam membro suscipiuntur, perspiciemus, atque videbimus, quod in utroque casu illas in Philautia fundatas esse certe concludere possumus. Si enim consideremus primos in mundo homines (ut Philosophus & quasi omni revelatione divina destitutus loquor), vel etiam alios, verbi causa, in insula quadam ab aliis cultis longe distante, non multos, quocunque illuc ejectos casu, vel etiam in terra quadam inculta vitam degentes atque omni scientia omnibusque artibus destitutos, non aliter ac infantes, & omni præter experientiam propriam, informatione atque instructione carentes, jam etiam aliqua aetate i proiectos; videbimus, quoniam sensibus externis notiones plerarumque rerum formantur, homoque tantum vi atque capacitate, illorum ope atque dein ratiocinatione notitiam rerum acquirendi gaudet, illos primum nullos alios formare posse conceptus, nisi quos res ad vitam sustinendam necessariae illis instillant. Itaque cum vim frigoris vel impetus procellarum sustinere non valent, mox vestimenta sibi comparant; sibi aut fame pressi alimenta sibi necessaria, & præterea omnia alia, quibus se indigere videant, parare curant. Et hæc omnia faciunt; ut hac ratione quævis incommoda, quæ sentiunt, dimoveant, voluptatemque aliquam sibi adferant, h. e. ut vitam suam conservent, jucunde vivant, verbo: ut felicitatem, quam aliam præter vitæ suæ conservationem

non

*) 8 (*

non norunt, promoteant: hoc autem fit, quia sunt sui amantes.

Verum enim vero, cum homo tam miser atque indigens nascitur, ut sine aliorum auxilio eum perire necesse sit, nec sine ope aliorum etiam ad vivilem ætatem veniens vitam vivere possit nisi misericordiani, patet, illum ob felicitatem suam esse debere socialem, adeo ut officia ab aliis sibi præstata compenset aliaque exerceat, ut hac ratione illos ad officia sibi præstanta ulterius commoveat. Ita alia haud ductus caussa, quam quod ei bene fecerit alter, illi, ei officia exhibendo, gratum suum ostendit animum, quod aliis, symbolam ad suam felicitatem non conferentibus, nunquam faceret, vel officium quoddam exhiberet; & ita etiam liberi parentibus suis, utpote qui curam conservationis eorum plurimum gerunt, ad officia præstanta commoventur. Hac ratione homines considerationi nostræ subjectos ideam *boni* & *mali*, sensim necessitatem alios non laedendi percipientes, ideam *justi* & *injusti*, sibi comparant, atque adeo utilitatem officiorum mutuo præstandorum sentientes, ob illam ipso actu ea præstant: & ita officia in *sedis* & *alios* exoriri videmus.

Si eo usque progrediatur homo, ut ex contemplatione structuræ hujus universi admirandæ, Numen Summum esse, quod hujus artificii Auctor sit, concludere possit; potentiam & sapientiam Ejus admiratur, atque ad Idem venerandum excitatur: An au-

tem

* * , *

tem etiam ad amandum? Haudquaquam. Perspiciens autem bona ista, quibus se quotidie cumulari videt, ea etiam DEO, ut omnia alia, tribuere, ei necesse est; Illumque esse Bonum concludit; & quia bona sua ei communicet, Illum amore etiam esse dignissimum, atque ita ad Eum amandum commovetur. Amat itaque DEUM, quia eum primum DEUS amat: amat, ut eum vicissim amet DEUS. Quis vero non intelligit, officia ita, ut dictum est, exoriri & homines ad illa exercenda *Philautia* impelli?

Crescente jam multitudine, ut jura sua contra alios obtinerent, & adversus irruptiones hostium securi viverent, in societas primum coaluisse homines, res est notissima. Hinc itaque nova pacta, hinc novae obligationes, nova officia. Ita, quæ summis Imperantibus, quorum voluntati suam subjiciunt voluntatem, officia debent homines, æque ac illa, quæ publicæ utilitati, cui vires suas ad communem defensionem deferunt, nec non omnes actiones ad leges civiles componendas, atque omnia foedera, quæ pangunt Imperantes, existere constat. Ob suam itaque utilitatem homines sese conjungere, leges ferre, illisque obedientiam præstare est res, quam nominasse sufficit, atque ulteriori non eget demonstratione.

§. IV.

Non tantum actionum Legi Naturali convenientium
B

tium suscipiendarum, verum etiam cujuscunque actionis, etiam scelerum gravissimorum, quæ patrant homines primum motivum est Philautia, adeo ut etiam, qui, existimantes mortem funestissimam vitæ miseræ præferendam esse, hanc sibi adimunt, alia haud ducantur ratione, quam ut, ea amissa, feliciores evadant (c). Contrariatur quidem ipsi naturæ *Autochiria*, uti Philautia ei convenit; cognoscit etiam homo malum esse vitam amittere, quam conservare ei tam arcte injunctum est; collato autem hoc malo cum vita quam degit miseram, existimat hoc minus esse quam illud, adeoque ea opinione seductus, ut molestiis liberetur, fatum suum nefaria prævertere ratione non dubitat. Ita etiam, qui oblectationibus genere humano licet indignissimis utuntur, ejusmodi occupationes perfectioni suæ convenientes esse, atque felicitatem, tantum non summam in illis consistere putant.

Phi-

(c) "Tous les hommes desirent d' être heureux: cela est sans exception. Quelques differents moyens qu' ils y employent, ils tendent tous à ce but. Ce qui fait, que l'un va à la guerre, & que l'autre n'y va pas, c'est ce même desir, qui est dans tous les deux, accompagné de différentes vues. La volonté ne fait jamais la moindre démarche que vers cet objet. C'est le motif de toutes les actions de tous les hommes, jusqu'à ceux, qui se tuent & qui se pendent". Oeuvres de PASCAL, Tom. II, pag. 123.

Philautia etiam commoveri eos, qui alios laedunt, non est quod multis demonstrem. Quam rationem enim illum, qui v. c. aliorum vitam adimere cupit, sequi putas, nisi ut vel quoad honorem, vel alio quo-cunque modo sive revera, sive ex sua saltem opinione violatus sit, atque adeo injuriam sibi illatam vel propulset vel ulciscatur, vel etiam, ut aliud quid boni inde percipiat. Fur haudquaquam alia de caussa ad aliorum opes, illis insciis, diripiendas primum aggreditur, nisi ut ita ea, quibus indiget vel indigere videtur, sibi adquirat. Pari etiam ratione ducuntur, qui alias aliis injuriam inferunt &c.

Ex allatis facilis quoque est conclusio, quomodo Philautia est caussa, cur officia DEO debita negligantur atque Ille offendatur. Ut enim unum officium, ut accurate loquar, sine altero esse nequit, ita etiam unum vitium sine altero raro invenitur (d). Qui nempe tam turpiter in se ipsum & alios peccat, ut infelicitatem, quantum possit, suam promoteat, ille nec DEUM ad tenorem Legis Naturalis colere potest; cultum enim DEI, si verus sit, etiam officia

(d) Qui in seipsum, non autem in alios officia observat, sibi ipsi insimul nocet, atque adeo non est sui amans. Non est homo, qui non aliquando actionem suscipit malam; nihilo tamen minus esse potest virtuti deditus. Itaque cum dicatur unum officium sine altero non esse, indicatur sermonem esse de triplicis generis officiis, & non de unoquoque officio seorsim considerato. Hoc etiam valet de vitiis.

ficia in nosmet ipsos & alios exercenda requirere,
cuivis rem rite consideranti patet.

§. V.

Sic in §§. duabus proxime antecedentibus ostendum, quomodo actiones primum ob necessitatem & utilitatem, quam indigentia rerum homini imponit, ab illo Philautia impellente suscipiuntur, proximum jam est, ut actiones, quae ob diversas circumstantias, ut sunt diversæ Regiminum formæ, diversæ Leges, diversa Educatio &c., diversæ existunt, perpendamus, atque qua ratione illæ Philautiæ tribuendæ sint, ostendamus. Foret autem hæc disquisitio longior, si omnia ad unguem resecare vellemus, quam ut imperata brevitas nobis hanc permittat. Paucis igitur tantummodo quæ ad rem pertinent attingamus.

Quantum debet varietas actionum hominum diversis Regiminum formis nemo fere ignorat, qui vel parum attente Historiam lustravit, in primis si consideraverit, quam pronus sit homo ad amplectendum ea, quæ ei ut bona atque utilia sistuntur, & quæ maxime aestimantur atque laudantur. Apud illas itaque nationes, ubi merita in bellis parta summis laudibus extolluntur, atque maximis compensantur praemiis, plures repériuntur heroës, quam apud gentes, quæ ex. gr. varias scientias artesque bonas excolunt & illarum cultoribus laureas distribuunt, nec non

præ

præmia summa comparant, quibus optima ornentur ingenia, & contra. Ita apud Romanos invenimus Regulos, Curios, Decios, Horatios; apud Græcos: Socrates, Isocrates, Demosthenes, Apelles cæterosque, & ita etiam inter nostri ævi nationes florentes exempla sunt plurima hominum utriusque generis. Ubi autem simul heroica facta & bonæ artes æstimantur, uti æstimationem merentur, videmus, quomodo ex una eademque gente alii bellicosi, alii autem artibus utilissimis operam dantes exoriuntur: & ubi vera virtus nihil valet, divitiarum autem aliarumque minoris momenti rerum habeatur ratio, homines videmus virtutem contemnentes, luxuriæ deditos, aliisque vitiis sponte inde fluentibus. Alii itaque fuerunt mores veterum Romanorum, alii posterioris ævi Quiritum; alii Atheniensium, alii Spartanorum. Alii sunt mores civium despotico imperio subjectorum, alii in libera civitate constitutorum; alii hodie Turcarum, alii Gallorum aliorumque (e). His autem ulterius immorari nolo (f).

B 3

Quan-

(e) Ita etiam in terris Hierarchiæ Pontificiæ subjectis multa ingenia manent inculta, quia sobrie cogitare est contra leges; demto autem hoc servitutis jugo, utpote iniquissimo, omnes scientiæ maxime florere inciperent.

(f) Diversis Regiminum formis diversos mores longa demonstratione tribuit HELVETIUS in Libro suo *de L' Esprit*. Vide sis Discours III, Chapitr. XVI, seqq.

Quantum autem actiones hominis in primis poster educationem valeant, sciunt, qui perpenderint; quantam vim in nos habeant, quae nobis in pueritia & adolescentia maxime commendantur, vel sponte, ut salutem nostram promotura, sese contemplanda sint; illa enim animum nostrum ita occupant, ut illicis insisteret quam maxime velimus, adeo ut, confutidine accedente, difficile sit illa omittere, alia sectari. Sed proprius ad rem. Quae, sive bona sive mala sint, in unaquaque civitate laudantur, atque civibus maxime commendantur; quae Imperantes civibus suis mandant atque inculcant, quaeque cives ipsi suscipiunt, omnia ut felicitatem promotura ab agentibus censentur; omnes utilitatis suae respectum habent; quare etiam, teste Historia, omnia quae sibi nocitura vident, omni nisu repellunt, vel saltem repellere conantur. Tantam bonae educationis necessitatem parentes considerantes, infantum suorum tenerrimam gerunt curam, ut conserventur & felicitas horum promoveatur, quantum nunquam gererent, nisi ex se ortum ducerent (g); & tantum honorem tantaque officia parentibus suis bonis, quantum & quanta nunquam aliis, praestant bene educati liberi.

Quod itaque attinet ad causas actionum, quas, ex diversis Regiminum formis &c., desumtas, heic alle-

(g) Cave, putas nos negare, esse homines, qui aliorum infantum curam gerant, quam quidem Philautiae etiam tribuimus, alio tamen respectu, ut ex sequentibus patebit.

allegavi, illas magnam sane vim in homines habere, multasque actiones ex illis, fundamentum in Philautia habentibus, deduci posse, libenter concedo; esse tamen insufficientes ad varias actiones, (quae plures sunt, quam quas leges civiles & universi hominum mores inculcare, queant) variorum agentium, explicandas simul contendō. Nec tamen in omnibus omnium hominum actionibus enucleandis oleum & operam perdere volo. Ad principium autem, quod pono *Philautiam*, cui, cœu primo fonti omnes actiones tribuo, stabiliendum, &, qua ratione illæ illi in universum adscribendæ sint, demonstrandum me confero.

§. VI.

Ne cui, cum statuamus *Philautiam* bonorum æque ac malorum esse fontem, nugas nos agere videatur, rem adecuratori subjiciemus examini, ostensuri, quo fundamento assertum nostrum nitatur. Et ipsa rei natura & experientia nobis favent. Cum homini innatus sit nisus felicitatem suam promovendi (§. 3), mox sequitur, ut nihil quod illi repugnat suscipere possit. Et cum felicitatem promovere non nisi bonum sit, sequitur, ut nisus ille naturalis, qui eum ad felicitatem promovendam commoveat, quemque (§. 3.) *Philautiam in se consideratam* vocamus, etiam sit bonus.

Si jam Philautia hæc naturalis in aëtum venit,
adeo

adeo ut vevera non tantum hominem impellat ad felicitatem promovendam, verum etiam homo illam ipsam actu ipso promoteat, quid impedit, quominus illam ut bonam censere possimus? si in malam vertitur partem *actualis illæ Philautia*, quid impedit, quominus, altero ejusdem genere bono manente, etiam mala esse posit? Et cur primo illi *instinctui* hæc duo genera adscribere, & nihilo tamen minus illum ipsum *instinctum esse optimum, statuere, nequeamus (h)*? Hinc itaque sponte emanant porismata: *Philautia* homines impellit ad quascunque actiones suscipiendas; ut naturaliter homini inest, est *bona*; ut actualiter considerata, quo pertinent officia triplicis generis, & virtutia illis opposita, est vel *bona* vel *mala*. Et uti Legi Naturali conveniens est, officia in nosmet ipsos exercere, ita etiam *Species illæ Philautiæ sit bona, & Species Philautiæ mala*, illi opposita, *mala (i)*.

Cum

(b) Quia nihil suscipit homo, nisi quod sibi bonum videatur; itaque cum felicitatem promovere velit, infelicitatem autem veræ felicitatis & mediorum huc ducentium ignarus vel oblitus, ipso actu promoteat, propositum ipsius nihil tamen minus est bonum, modus autem, quo finem suum obtinere vult, perversus.

(i) Concedit auctor Libri, cui titulus: *Les mœurs*, Philautiam in eo sensu, quo heic attulimus, esse *mala*; statuit autem simul illam alio respectu esse *bonam*: "Si par amour propre, (inquit pag. 69) on entend la présomption, l' orgueil ou la vanité: je l' abandonne à la rigueur de ceux qui le poussent; je suis son premier ennemi. Mais

Cum ergo actiones nostras *Philautiæ* tribuimus, oritur quæstio: Cujusnam generis vel speciei sit hujus affectus? Actiones omnes *Philautiæ*, ceu *primo instinctui* & ceu *actuali illi*, adscribendas esse nemo jam est qui neget. Quod autem attinet ad species nominatas *Philautiæ*, alia est res. Statuimus hominem primum nil nisi propriæ utilitatis propriæque felicitatis promovendæ respectu fuscipere (§§. 3, 4,), & ob promotionem felicitatis suæ, ad dictamen Legis Naturæ, primum commoveri, ad officia in *alios* & **DEUM** exercenda, atque illum hæc omnia intermittere, nisi esset *φιλαυτος*. Ita etiam, cum ob (*n. h.*) allatas caussas, se ipsum male amat homo, officia,

C

uti

si l'on entend avec moi, par amour propre, cette forte affection, que la pure nature nous inspire pour nous-memes: je le soutient innocent, legitime, & même indispensable."

ABBADIE in Libro suo, *l'Art de se connoître soi même*, etiam bene distinguit inter Philautiam *bonam & malam*. Verba ejus sunt: "L' usage de notre langue est heureux en ceci, car elle nous fait distinguer entre l'amour propre & l'amour de nous-memes. L'amour de nous-memes est cet amour, en tant, qu'il est legitime & naturel. L'amour propre est ce meme amour, en tant qu'il est viceux & corrompu" Vid. Libr. cit. pag. 236. Nostra Svecana lingua etiam apta est ad exprimenda duo genera *Philautiæ*, vocabulis *Egen kärlek* & *kärlek til os* sjelfwe. Præterea monendum, quod bene de Philautia differit Vir laudatus.

Cfr. BUDDEI Theol. Mor. pag. m. 103, seqq. EJUSDEM Elem. Phil. Pract. pag. 97.

uti in *seipsum*, sic etiam in *alios & DEUM* negligere
(§. 4) necessum esse, contendimus. Atque hæc so-
le meridiano clariora putamus.

§. VII.

Altera est quæstio: quoniam statuitur, *Philautiam*
esse motivum actionum humanarum, an itaque omnes
quascunque suscipiat actiones homo, voluptate nec
non proprio commodo ita metiatur, adeo ut nihil ob
aliorum agat caussam? Id contendunt Philosophi *Cy-
renaici & Epicurei* nec non *HELVETIUS*; atque hic
quidem in Libro suo *de L' Esprit* Tom. II, omnium
hominum omnes actiones, omniaque facta voluptati
tribuit physicæ, & diversas actiones ex diversis circum-
stantiis, quæ in voluptate convenienter, dependere statuit.
Quod attinet ad diversas illas circumstantias exter-
nas, ei facile assertum suum ita concedimus, ut (§.
5.) breviter ostendimus. Hominem autem semper in
actionibus suscipiendis respectum habere physicæ vo-
luptatis, est res, quam nemo sanus facile admiserit.
Præterquam, quod id sit omnem virtutem generi no-
stro abjudicare, est etiam absurdum statuere Horatios
& Regulum voluptate physica commotos volentes
morti se obtulisse. Nec homo alias, utilitatem suam
semper respicit, agit autem virtuti deditus etiam ob
aliorum caussam, partim propter illos ipsos, partim

ob honestatem actionis, tamen ita, ut *Philautia* pri-mum ad id moveatur.

Ut hæc clariora evadant, multum juvant *Doctrinæ* de translatione finis in media, & *Sympathia*; de quibus paucis dicturi sumus. Docet experientia, cum homo ad finem quendam longinquorem obtainendum, neceesse habeat appetere adjumenta & media, interdum plura, quorum quæque etiam sœpe plures continent partes, quemque celeriter attingere nequeat, non raro accidere, quoniam, ob arctos, quibus mens circumscripta est cancellos, integrum longam seriem finium intermediorum perspicere non valeat, verum ab uno ad alterum progredi opus fit; ut aciem mentis suæ ad fines illos subordinatos, utpote propiores accingens, scopum ultimum obliviscatur. Accidit autem hoc in primis, cum media, quæ ad finem illum attingendum delegit, ei quam maxime placent, & delectationem magnam adferunt, adeo ut illa, consuetudine accedente, propter se appetat atque æstimet. Ita, qui, ut commode vivant & ut cupiditates im-plere possint, ad quas juvant pecuniae, illis eum in finem corradendis sese accingunt, haud raro ipsis his mediis adsistunt, & plane finem sibi propositum ita obliviscuntur, ut, pecuniis æstimandis adsueti, nullam alias rei rationem habentes, quam quomodo illas colligant, vix ad vitæ necessitatem illas expen-dere velint. Ita multi rationem non consulentes, vel

præjudiciis, quæ habent ab educatione, exemplis aliisque circumstantiis in varios errores ducuntur. Sed hac ratione etiam alii, adhibita diligentia rationem consulendi, ad virtutem exercendam impelluntur. Amicitiam ob commoda sua, si vel minima sint, primum ineunt; ostensis autem ex utraque parte signis variis amicitiae, post tempus, faltem longum, obliviscentes finem suum, nullum respectum propriæ utilitatis habent, verum se invicem ita amant, ut, nulla alia caussa ducti, quam quia sint amici, bona sua ad commoda alterius promovenda offerunt (k).

Sympathia hominem, respectu non habito propriæ salutis ad opitulandum aliis saepe impellit; quare multi fortissimo sensu acti interdum magnas exercent virtutes. Ita ex. gr. cum vir, qui miserrimus esse videtur, quia a latronibus pessime est laceratus, caput ejus male cæsum, altera manus truncata &c., lacrymas effundens iter facientem, eum in conspectu habentem, ut sui misereatur, humillime orat, saepe hominem, alias immisericordem, ad sibi auxilium ferendum commovet. Plura exempla proferre non est necesse. Cave autem, putas, actionem ab iter faciente

(k) Nolumus hanc materiam longius explicare, quia anno 1784, heic Præsidio Cel. D:n. Eloqu. Prof. H. G. PORTHAN edita est *Dissertatio de oblectatione & appetitu mentis, de fine in media translato*, ubi veritas hujus Doctrinæ fundamento demonstratur. Unde nos etiam in has meditationes incidendi occasionem sumsimus.

te suscep tam qui nullam commodum ex illa habere ponitur, a Philautia immunem esse. Nisi sibi repræsentet agens malum quantum sit, quo laceratus afflitus est, adeo ut id quasi sibi applicet, quod nullum feret auxilium, tibi per svadeas. Quantam vim sympathia babeat, sciant, qui recordantur, quomodo multi alios flentes videntes, ipsi nullam aliam habentes caussam, flere possint; uti etiam, contra, alios gaudentes, quia gaudent alii, videmus.

§. VIII.

In §. præcedenti allatis Doctrinis in auxilium vocatis, actiones nostras Philautiæ, i ceu primo fonti, tribui, & vice versa, ex eodem illas explicari posse, negaturum puto neminem. Innumera exempla, partim ex Historia partim quotidiana experientia, petitæ proferre, atque illa ad fundamenta *Doctrinæ nostræ* explicare possemus, nisi caussæ (§. I.) allatæ ab his abstinere nos cogerent. Unicam tantum adhuc explicemus objectionem, quam aliquos proferre putamus. Quoniam statuatur, hominem actiones non suscipere, nisi primum Philautia impellatur, & non nisi per illam, etiam ad virtutem exercendam, commoveri, videtur, hanc veram non esse, ad talem autem requiri, ut sine respectu propriæ salutis agat homo; in primis quod attinet ad officia, quæ summo debemus DEO, quem propter se amandum esse, neminem negare oportet, illa, quatenus ex Philautia oriuntur,

tur, talia non esse, qualia debent, videntur. Hoc
fane ambabus concedimus manibus. Si enim rem,
uti Revelatio nos docet, consideremus, ejusmodi of-
ficia insufficientia esse, nobis persuasum habemus; ni-
hilotamen minus illa etiam quæ præstat homo in eo
statu, quo jam per revelationem divinam constitutus est,
quoad originem ex Philautia duci, contendimus (1);

(1) Heic observamus dissensum, inter LAMNIUM & PE-
TRUM MALEBRANCHIUM de *amore Dei puro*. Quorum MALE-
BRANCHIUS amorem illum plane impugnavit, dicendo ex pro-
pria felicitate petendum esse motivum diligendi DEUM, &
dilectionem ab omni utilitatis specie, omnique nostræ ipsorum
felicitatis respectu abstractam, tanto magis fingi, quanto clari-
lius patet, illam inter possibilia tantum inveniri, quam senti-
entiam variis scriptis confirmavit. LAMNIUS autem existima-
vit, ideam amoris, qualem sibi formaverat MALEBRANCHIUS,
non esse genuinam & convenientem, præsertim si DEUM ob-
felicitatem, quam in Eo invenimus, amore prosequamur, i-
psum nec propter se & sublimes suas perfectiones diligamus,
nec nostram dilectionem amori DEI postponamus. Vide BUD-
DEI Theol. Mor. p. m. 106. Eandem controversiam in Gal-
lia postmodum redintegrarunt Archi-Episcopus Cameracensis,
FRANSISCUS DE SALIGNAC FENELON, & Episcopus Meldensis
JACOBUS B. BOSSUET; quorum prior omnem caritatem, a qua
non exsulat propriæ mercedis respectus, indecoram esse, Di-
vinæque Majestati inimicam adseruit: posterior autem amo-
rem omni motivo interessato vacuum, ceu pio homine in-
dignum, & dictamini Sacrarum Litterarum contrarium pro-
scripsit. Quæ geminæ sententiæ multorum animos haud le-
viter turbarunt immo eo ventum fuit, ut Pontifex Romanus

unde autem simul patet, et si Philautia in se sit bona, & nos ad bona cominoveat, quam insufficientes naturæ nostræ corruptæ sint vires. Hæc vero Theologorum relinquimus considerationi.

INNOCENTIUS XII Episcopo Meldensi favens, opinionem Fenelonii merito improbaverit. Vide Dissert. de hac re Upfalike editam Præfide Eth. & Pol. Prof. ANDR. GRÖNVALL, anno 1743. — Quicquid sit, certum est, honinem DEUM super omnia amare non posse, nisi Eum summam continere felicitatem, & se in Eo felicem esse, sibi perfrvadeat. Itaque ob desiderium felicitatis obtinendæ, & ob felicitatem, qua in Eo jam fruitur, DEUM maxime amat, aliumque amorem finigi cum MALEBRANCHIO & BOSSUETO contendimus. Hac de re longius quidem dicendum esset, filum autem abrumpere cogimur.

Errata:

Pag. 4, l. 7, *mediorem*, l. mediocrem; p. 8, l. 18, *subjectos*, l. subjecti; p. 16, l. 1, *vevera*, l. revera; ibid. l. 7, *posit*, l. posit. Reliqua, quæ irrepserunt, corrigat Benevolus Lector.

